

patet ex prædicatione Jonæ: *Adhuc quadraginta dies, etc.* rursus ex cap. IV. Ezechielis, ubi propheta jussus est quadraginta dierum spatio jacere in dextro latere et orare pro tribu Juda. Jam vero omnino congruebat, ut esset aliquod in anno publicæ pœnitentiæ tempus, siquidem ait Dominus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. Hoc ergo tempus pœnitentiæ determinavit nobis Ecclesia: quo sublato, raro vel nunquam de pœnitentia ejusque operibus per annum cogitaremus. Sed cur hoc potissimum tempore quadragesima instituta? Respondet S. Hieronymus ad Marcellam: *Nos unam quadragesimam jejunamus tempore nobis congruo.* Congruum autem est hoc primo, ut expiatis jejuniis animis tendamus ad paschalia gaudia digne colenda. Omnes nos desideramus in paschate divinæ gratiæ vestem induere. Hoc autem ut fiat, prius vetusta pellis exuenda est: quæ quoniam tenaciter nobis adhæret, longa inedia laxanda est: quod quidem serpens docet, ut scribit S. Hieronymus, ep. ad Præsidium: « Anguis, inquit, quando senuerit, perdit aspectum, et si voluerit redire ad juventutem, jejunat quadraginta diebus ut laxetur pellis ejus, et sic angustum foramen inquirat, ut dum nititur exire inde pellem senectutis dimittat. » Audiamus nunc Cyrillum Jerosolymitanum, catech. III. « Quilibet serpens, inquit, in angustum intrans deponit senectutem et vetustatem, per extrusionem exiit, corporeque denuo toto renovatur: sic et tu intra per angustam portam, affligens teipsum, per jejunium expelle tuam perditionem, exue veterem hominem cum actibus suis, et dic illud, quod est in Cant. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? » Difficilis res et multi laboris est, pristinam inolorum vitiorum pellem exuere: quare ut hoc cum Christo renovato et resuscitato fiat, prius diuturnum jejunii exercitium præmittendum est.

Secundo, quia circa hoc tempus augentur in corpore humores, et membra ad malum laxantur. Si ex aliquo quæram, cur potius in vere quam æstate vel hieme, purgationem faciat corporis, et sanguinem minuatur, respondebit opinor quia circa hoc tempus sanguis et noxii humores in corpore magis abundant. Similiter se res habet in proposito. Ver tempus est ad lasciviam provocans, ubi terra aperitur, prata ridere incipiunt, volucres ad garritum excitantur, etc. Igitur ne tunc ad mordinatos motus et lætitiâ abriplamur, miscere nobis Ecclesia vinum vernale cum aqua jejunii voluit, ne inebriemur.

Tertio, quia hoc tempore primi nostri parentes fregere jejunium et propterea mortem nobis

attulere; secundus vero Adam Christus circa hoc ipsum eorum culpam luit, nosque liberavit. Recte igitur in nobis nunc pugnamus quod parentes nostri peccaverunt: et merito dentes nostri nunc obstupescunt, quia parentes nostri comederunt uvam acerbam, Jerem. XXXI. Jure enim nunc Christo pro nobis patienti compatimur. Unde S. Chrys. serm. de jejunio ait: « Nosti quod crucifixus est, nosti quod pro te mortuus est, confitere quod vivit pro vivente, fac martyr sis pro eo, qui pro te martyr fuit; morere pro eo qui pro te mortuus est: si autem sic exposcit mortem, parvum est jejunium. » Judæi in festo expiationis, quo summus sacerdos intrabat sanctorum, jejunabant et affligebant animas suas, Levit. XVI. Quanto æquius jejunamus nos per quadragesimam antequam videamus pontificem nostrum Christum, per proprium sanguinem introire in sancta?

CONCIO VIII.

CAUSE PRECIPITANTES IN HERESIN.

I. Superbia. Eo spectat: 1. Curiositas. 2. Libido contradicendi. 3. Arrogantia. — II. Cupiditas. Eo spectat: 1. Avaritia. 2. Ambitio. 3. Usurpatio munerum ecclesiasticorum. — III. Voluptas. Eo spectat: 1. Tædium severioris disciplinae. 2. Luxuria. 3. Appetitus novitatis. 4. Libertas carnis.

THEMA.

Mitte te deorsum. Matth. IV.

Mirum in modum dæmonem delectari præcipitiis, multæ historiæ docent. « Ipse est, inquit Sanctus Augustinus contra epistolam Gaudentii, l. II. capite XIX. vet. edit. qui illum puerum, de quo in evangelio legimus, mittebat aliquando in aquam, et ipse illum gregem porcorum præcipitem fluctibus mersit. Ipse ut se de pinna templi præcipitaret, etiam ipsi Domino audacissima tentatione suggestit. » Rursus ipse haud dubie est, qui sub Constantino Magno, anno 332. suasit Donatistis, Donato doctore, ut se passim præcipitio necarent, et in ignem vel aquam injicerent, tamquam martyres hinc futuri, eodem Augustin. epist. L. Optato et aliis testantibus. Ipse etiam est, qui anno 432. sub Theodosio et Valeriano imp. Moysis personam, ut credunt, mentiens persuasit Judæis in Creta insula, ut relictis omnibus suis, se sequerentur cum uxoribus et parvulis, velle enim se eos introducere in terram promissionis per mare sicco vestigio. Dicta igitur die convenerunt ad promontorium; ex eo se

In mare præcipitare jubet, quod cum aliqui fecissent, nisi piscatorum, qui forte aderant, auxilio servati fuissent, plane essent suffocati: fraude cognita veterator non est inventus, Socrates, libro II. cap. XXXVI. Ipse denique est, qui quotidie suadet hominibus præcipitium in barathrum peccatorum, hæreseos imprimis. Non miror ego isthæc facere dæmonem, quia cum jam olim præcipatus fuerit de cælo in abyssum, quid nisi idem præcipitium optet iis, quos cane pejus et angue odit? Illud vero mirum, inveniri homines, qui huic suasori obsequentes se præcipitare audeant. Et tamen quantus eorum numerus? Et quidem in hæresin quam multæ civitates, nationes et regna se misere præcipitarunt? Merito igitur quærat aliquis, quæ causa eos adegerit ad hujusmodi præcipitium. Triplici tentatione aggressus est dæmon Christum in deserto et eadem dejecit in hæresin Christianos.

I. Primo, per superbiam: *Mitte te deorsum.* Et ad hanc pertinet:

Primo, curiositas seu nimium studium indagandi ea, quæ fides non discutienda, sed credenda proponit. Cum enim imbecillitas humana nequeat ad divinarum et cælestium rerum arcana penetrare, fit, ut neget esse quod nequit intelligere, indeque fit ut velut musca dum nimis prope advolat ad lucernam, uratur vel inviseatur. Sic illi Joan. VI. cum mysterium eucharistiæ capere non possent, dicebant: *Durus est hic sermo, et quis potest eum capere? Et ex hoc multi abierunt retrorsum, et jam non ambulabant cum Jesu.* Hac via Arius et plerique hæresiarchæ præcipites ruerunt in varios errores. Cum enim is divinam Filii generationem oculo irretorto vellet intueri, nec valeret, inde incepit eam oppugnare. Sic Lutherus cum intelligere non posset modum acrationem transubstantiationis seu conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, docuit panem remanere etiam post consecrationem. Sic Calvinus, quia impossibile putabat Christum, qui ad dexteram Dei sedet, hic nobiscum in terris versari et quidem in tantilla hostia totum concludi: idcirco maluit apertissimis Christi verbis repugnare, quam ignorantiam suam fateri. Hanc consequitur pertinacia quædam, vita potius quam sententia cedendi. Unde de erroribus in errores, et tandem in absurdissima labuntur dogmata. Et licet vulgus ut plurimum ab hac causa immunis sit, qui pro arbitrio prædicantium quævis credere paratus est, ideoque fidem ut vestem mutat: non desunt tamen ex illo etiam, qui cum noctuis et vespertilionibus in solis radios et veneranda mysteria intendere aciem suam audeant, non advertentes

quod olim Deus populum et omnes pecudes ad montem Sinai fumantem appropinquantes, occidi jussit, Exod. XVII. « At bestia montem tangit, ait S. Gregor. lib. VI. moral. cap. XXV. cum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit, sed lapidibus percussitur, quia summa non sustinens ipsis superni ponderis ictibus necatur. » Hoc est quod Prov. XXV. dicitur: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Nos itaque, dilectissimi, fide potius utamur, quam scientia; et gloriemur, quod habeamus Deum, qui ut ait S. Joannes: *Major est corde nostro*, I. Joan. III. si divina intelligere volumus, credere debemus, quia *nisi credideritis, non intelligetis*, ait Dominus. Alibi etiam: *Qui non crediderit condemnabitur*, ait. Non dixit: Qui non intellexerit.

Secundo, libido et cupiditas contradicendi. Hæc enim uti philosophiam ita et religionem christianam in varias scidit sectas. Talis erat Marcion Ponticus, qui cum propter stuprum virgini illatum, ab Ecclesiæ communione præcisus esset, Romamque profectus, non solum absolutiorem petisset, sed etiam præfecturam ecclesiasticam ambivisset, nec tamen impetrasset, Romanis presbyteris indignabundus ait: *Ibo ergo et Ecclesiam vestram scindam.* Atque ex eo tempore hæresin suam disseminare cepit, Tertullianus de præscript. advers. hæret. Epiphani. in hæresin Marcion. Eodem contradictionis spiritu agitabatur Lutherus et Calvinus, duæ furie nostri sæculi: ut merito existimem, si Romanis pontifex factus fuisset Lutherus aut Calvinianus, ipsos de repente iterum futuros fuisse pontificios. Etenim Lutherus expresse assererat, se contraria iturum via; si papa statueret communionem sub utraque specie, se enim tunc ut sub una tantum aut sub nulla fieret, effecturum, etc. tantum ne pontifici concordare videretur. Idem in epistola ad Argentinenses scribit, se non Christi amore, sed papæ odio inflammatum tragediam illam suam excitasse. Idem in postilla dominica IV. advent. jubet contraire Ecclesiæ et pedibus conculcare ejus præcepta de certo tempore confitendi, communicandi, jejunandi. Idem fecit olim Arius, apud Augustinum de hæresibus. Contra hoc igitur monent apostolus, II. Timoth. II. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* *Verbis contendere*, ait S. Augustinus, lib. IV. de doctr. christ. cap. XXVIII. *est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo sua dictio dictioni præferatur alterius.* Quod hæreticis communissimum est, dum non quærunt indagare veritatem, sed ostentare scientiam, velle prævalere et vincere; non advertentes, quod

ejusmodi spiritus contradictionis Core, Dathan et Abiron detrusit ad infernum.

Tertio, arrogantia, qua se cæteris omnibus arduiores et majores reputant, aliisque subesse nolunt. Hinc enim a nemine doceri vel dirigi, sed omnes docere et regere volunt. In hujus rei typum, Exod. X. ventus urens levavit locustas : quæ ascenderunt super universam terram Ægypti. Sic Lutherus, in libro advers. regem Angliæ, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias per se nihili facit. Unde Scripturam pro suo arbitratu pervertit, auxit, minuit, causam addens : *Nolumus enim, inquit, papistarum esse discipuli, sed magistri ac iudices*, Surius in comment. pag. CCLXI. Calvinus eruditissimos Ecclesiæ doctores asinos vocare non dubitavit; quasi ne digni quidem sint solvere corrigiam calceamentorum ejus. Eadem vertigine involutus cecidit Origenes tantus ac talis, qui ut scribit Vincent. Liran. libro contra hæres. capite XXIII. « Dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget sibi que satis credit, cum parvipendit antiquam christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones, et veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur : Si surrexerit in medio tui propheta, etc. » Sic Hilarius diaconus postquam fidei causa verbera, carceres, et exilium expertus esset, gloria nobilis confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, schismate se ab Ecclesia segregavit et hæresin addidit, Baron. anno 362. Denique, ut testatur D. Cyprian. epist. LV. et LXIX. non aliunde obortæ sunt hæreses aut nata schismata, nisi quod sacerdotibus Dei vicem gerentibus (pontificibus nimirum) ab universa fraternitate non obtemperatur. Quare ut in Ecclesiæ gremio persistamus, tamquam parvuli et infantes ab ea pasci et educari libenter velimus. Unde S. Petrus, I. Pet. II. ait : *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*, lac inquam dogmatum christianorum, sicut ea proponit et tenet Ecclesia, licet nos non perspiciamus; quemadmodum et infans lac quod sugit, non videt. Alioquin enim timendum, ne velut ablactatus ab uberibus Ecclesiæ quis rejiciatur. Unde David, Ps. CXXXIX. inquit : *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam : sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea*. Recte ergo Sapiens monet : *Audi consilium et suscipe disciplinam ut sis sapiens in novissimis tuis et ne imitaris prudentiæ tuæ. Memorata sunt ubera tua (Ecclesia) vira : quia hoc videtur lac, quod ex uberibus sugitur, non item. Nihilum est scientia, lac fides.*

II. Tentatio erat de cupiditate gloriæ et divitiarum, cum dæmon ostendit Christo omnia regna mundi et gloriæ eorum. Ad hanc ergo pertinet primo avaritia. Hæc Simonem magum egit præcipitem, qui Spiritum sanctum emere volebat ut ait gl. in c. VIII. Act. *Ut ab iis vendens eum, plus accipere posset* : quod cum ei non successit, excitavit hæresin. Similiter Lutherus, cum videret manus publicandarum indulgentiarum, unde lucrum et honorem sperabat, præter expectationem non sibi, sed alteri demandatum esse, hinc contra indulgentias primum, deinde contra papam, ac demum contra fidem et omnia ejus dogmata scribere et concionari cepit. Multos item principes et magistratus impulit in hæresin, spe prædæ ecclesiasticæ ex monasteriorum occupatione, templorum ac bonorum ecclesiasticorum direptione prodians. Ita multi contrahunt matrimonium cum hæreticis et fidem abjiciunt, quia pingue nacti sunt conjugium, conditionem, officium, prædium, etc. Quæ tamen omnia licet eis dæmon de procul ostendat, multoties tamen non largitur : vel mox iterum eripit. Certe ex ejusmodi bonis non ditatos esse principes probat experientia; quem autem fructum inde aliquando percepturi sint, docebit ultima dies. Testis est ipse Lutherus in symposiacis suis, cap. IV. pag. LIX. dicens : *Comprobat experientia, eos qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ob ea tandem depauperari et mendicos fieri*. Idque confirmat primo, testimonio nobilis D. Joannis Hund, electoralis consilarii Saxonie, qui dicere consueverat : *Nos nobiles cenobiorum opes ad nostras attraximus : nunc equestres nostras opes comederunt et consumpserunt illæ cenobiales, ut jam neque cenobiales, neque equestres amplius habeamus*. Secundo, apolo. Aquila, ut suos in nido pullos pasceret, e quodam altari, in quo Jovi sacrificabatur, partem carnis assam abrupit, eamque in nidum læta detulit : sed candens illi adhærebat carbo, qui totum cum pullis nidum confestim succendit. Sic autem, ait Lutherus, *iis, qui ad se bona ecclesiastica rapiunt, evenit*.

Secundo, ambitio : et hæc plerosque hæresiarchas cadere in hæresin fecit, quia nimirum episcopi, aut cardinales esse non potuerunt. Sic Theobates, quod in petitione episcopatus repulsam passus esset, primus Ecclesiam eoque virginem corrumpere sua hæresi tentavit, Euseb. I. IV. hist. cap. XXII. Valentinus simili de causa, quod alium vidisset subrogatum ad dignitatem episcopalem, quam ipse ambiebat, ab Ecclesia se segregavit, Tertulliano teste, in lib. quem contra ejus hæresin scripsit. Sed et ipse Tertullianus talis ac tantus, impulsus est tandem ad casum, vel quod Carthaginiensis episcopus esse non vo-

tuisset, vel quod indigne tulerit Victorem papam sibi in honore prælatum : vel quod ab ipso non adeo, ut sibi præsumperat, haberetur in honore aut coleretur officiis, Baron. anno 201. Montanus quod primatum quemdam, quem appetebat, non obtinisset, perniciosam hæresin excitavit, Theodoretus, lib. III. de fab. hæret. Novatianus quod Romanum episcopatum, ad quem contra Cornelium legitimum pontificem perperam subvectus a Novato erat, obtinere non posset, tumore et ambitione correptus, ab Ecclesia seipsum segregans, proprios cætus cogere et novam quamdam hæresin, per defectionem instituere cepit, Niceph. lib. VI. hist. c. III. Baron. anno 254. Arius, quod episcopatu frustratus esset, docuit sacerdotes pares esse episcopis, August. I. de hæres. Arius, quod S. Alexandrum com-presbyterum suum ad episcopatum evectum et sibi prælatum videret, occasionem accepit descendendi ab Ecclesia, Theodoretus, I. IV. de fab. hæret. Macedonius episcopatu Constantinopolitano ab ipsis Arianis privatus, novam hæresim eudit, Baron. anno 360. Nestorius postquam multos annos et colore vestium et pallore vultus et verborum compositorum artificio omnisque sanctitatis simulatione, ut scribit Theodoretus, lib. IV. fab. hæret. se in animos et benevolentiam vulgi pro acquirendo episcopatu Constantinopolitano frustra insinuasset, in hæresim prolapsus est. Bernardus Ochinus spe episcopatus Florentini et cardinalatus frustratus defecit ad Geneveses. Quibus accenseri Lutherus potest, qui ob speratam frustra dignitatem et munus, hostis indulgentiarum factus est; alique multi, qui cum alia ratione celebrare nomen suum haud possent, hæresibus inveniendis id consequi voluerunt; ut sic etiam posterius, quod de ipsis loquerentur, haberent, nebulonem illum imitati, qui ut immortalitatem sibi pararet famam, templum Dianæ Ephesinæ splendidissimum incendit. Agmen claudat Michael Palæologus imperat. Græcus, qui ut filiis regnum stabiliret, religionem innovavit. Sed quid inde consecutus est? Pro accepta gratia, filii demortuo sepulture honorem negaverunt, Gregorius, lib. V. Eadem mercedem plerique hæresiarcharum etiam viventes nacti sunt; Montanus eundem cum proditore Juda vitæ exitum sortitus est, Eusebius, I. V. cap. XV. Et qui primus ejus hæresim defendendam suscepit, Theodotus a diabolo in aerem sublatus ac de repente præceps dejectus periit, ibid. Arius quoque cum Juda crepuit medius et in locis impuris effusa sunt omnia viscera ejus, ut scribunt Gregorius et Nazianzenus, orat. de laudibus Athan. ad Serap. et Ambros. de fide ad Gratian. ut merito

de istis etiam dictum existimetur id I. Macch. II. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est, hodie extollitur et cras non invenietur; quia conversus est in terram suam et cogitatio ejus periit*. Quid enim omnes hæresiarchæ, nisi infamiam consecuti sunt? Ubi enim eorum libri, dogmata, sectatores, encomia et laudes? Quis de ipsis honorifice, imo quis non scabiosissime loquitur? Idem fiet Luthero et Calvino, tandem et reliquis novatoribus, et quidem ab ipsismet eorum sectatoribus.

Tertio, munerum ecclesiasticorum usurpatio. Quæ imprimis projecit in hæresin Justinianum imp. alioquin sapientissimum et æquissimum. Cum enim fidei dogmatibus decidendis se immiscuisset, et quæ pontificis, Concilii et episcoporum erant, sibi arrogasset et definisset aliquid erroneum, non consulta sede apostolica, inde in hæresim prolapsus est, Baron. anno 563. Sic Heraclius dum similiter dogmatibus ecclesiasticis se immiscuit, dum cum Sergio Constantinopolitano episcopo prætulit se vindicem Chalcedon. Concilii, novam Monothelitarum hæresin induxit, Baron. anno 631. Tanto nimirum periculo tractantur a sæcularibus res ecclesiasticæ.

III. Tentatio erat de voluptate : *Dic ut lapides isti panes fiant*. Ad quam pertinet primo, noxia illa libertas, quæ severiorem disciplinam odio habet, eaque, quæ carni placent, sectatur. Quemadmodum enim Loth videns omnem circa regionem Jordanis, quæ erat sicut paradysus, elegit eam sibi, et recessit ab oriente ac divisus est ab Abraham, Genes. XIII. Ita multi quæ disciplinam oderant et libertatem quærebant, ab Ecclesia et vera fide recesserunt. In quo lapide impegit olim Jovinianus hæresiarcha, qui e monasterio egressus, quod ferre delicatulus non posset monasticam disciplinam, quam solute et impure vixerat, hæresin docere cepit, quod status viduarum et conjugum ejusdem esset cum virginitate meriti, Baron. anno 382. Hic idem lapis nimis Luthero durus fuit, unde in panem eum mutavit, cum monasterii repagula perrupit, et libertatem a ss. canonibus, Ecclesiæ præceptis, operibus pœnitentiæ et satisfactionis sibi et quibuscumque aperuit. Qualis iste est paradysus, solum esse a legibus ecclesiasticis, pontificum decretis, lege jejunandi, confitendi, votis servandis, bonis operibus cumulandis? Sed quemadmodum terra illa circa Jordanem e paradiso mutata est in infernum, dum paulo post igne et sulphure vastata est : ita libertas hæreticorum mutata est in sentinam peccatorum, vel ipsismet testibus. In mari mortuo nullus est viror, nullus piscis aut avis aquatilis, sed omnia squalida, mortua, fœ-

tida, combusta, et ita tandem hæresis mutabitur in carcerem gehennæ et horrorem sempiternum, in mare mortuum, fœtidum, sterile.

Secunde, libido. Hæc Lutherum, Munsterum, Pelicanum, Bucerum, Ochinum, Oecolampadium, Calvinum, Bezam et similes alias humani generis pestes partim e monasteriis, partim e cœtu catholico extraxit ad hæreseon ganeas, et extrahit usque hodie, perverso illorum exemplo. Hæc Angliæ regem Henricum VIII. invertit, et in hostem sedis ac fidei Romanæ, a qua redarguebatur de illicito conjugio et legitimæ uxoris repudio, mutavit. Denique, passim: *Male viventes*, ait S. Chrysostomus, in I. ad Timoth. *ne futurorum metu et expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quæ nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, judicio futuro et similibus.* Sic Calvinus infernum ponit metaphoricum tantum et phantasticum, ubi scilicet damnati solum apprehendunt Deum quasi sibi iratum.

Tertio, appetitus novitatis. Tametsi enim non omnis novitas grata et jucunda est, (alioquin enim gentiles apostolorum doctrinæ et evangelio non tam acriter restitissent) ea tamen, quæ annexum habet aliquid quod carni delectabile est, obvis ut dicitur ulnis, communiter recipitur. Ita vinum novum omnes bibere volunt; sed qui prudentiores sunt et vetus vinum biberunt, non statim volunt novum; dicunt enim: *Vetus melius est*, ut dixit Dominus, Luc. c. V. Vinum novum, jure illis suspectum est, quia gignit et relinquit post se malos effectus: ita fides nova, cum ea tam antiqua esse debeat, atque est Christus ipse; imo hoc uno novitatis nomine debet repudiari. Quos vero novitas deliciis et voluptatibus affluer ad hæreses impellit, illorum *Deus venter est et gloria in confusione, inimici crucis Christi, quorum finis est interitus.* Audiendus potius Jeremias, cap. VI. *State super vias vestras, inquit, et videte et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona et ambulata in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.*

Quarto, libertas, quæ juventutum maxime allicit. Dicent enim gulosi: Cur patiamur certis diebus a Romana Ecclesia carnis usum nobis interdici? Annon hoc verbo Dei, præsertim ei loco Matth. XV. *Non quod in os intrat, coinquinat hominem, aperte repugnat? Nonne hoc est quod apostolus prædixit, venturos in extremis temporibus aeductores, qui præcepturi sint abstinentiam a sibus, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione, simulque nubere prohibitori? Sed non adverterunt miseri, Ecclesiam non tam requirere abstinentiam a certo cibo, quam obe-*

dientiam: nec tam in cibo, quam in contemptu præceptorum esse peccatum. Nos ergo postquam vidimus præcipitia hæreticorum et Tarpeios montes, horreant vel conspectum eorum, discamus que: *Vade Satana, etc.*

CONCIO IX.

DOCUMENTA CIRCA PERSONAM CHRISTI.

I. Boni post baptismum parent se ad pugnam. — II. Armant se ad pugnam. — III. Arimis dæmonis suggestionibus se opponunt. — IV. Lapides mutant in panes. — V. Animæ cibum potius quam corporis quærent. — VI. Non tentant Deum. — VII. Fugiant iuanem gloriam et avaritiam.

THEMA.

Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. IV.

Videmus in hodierno evangelio, quod olim quidam vidit per somnium a Deo sibi immissum, Judic. cap. VII. *Vidi somnium, aiebat, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi et in castra Madian descendere: cum pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, et terræ funditus cœquavit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, filii Joas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian et omnia castra ejus.* Videmus, inquam, in hodierno evangelio panem subcinericium qui simul etiam gladius est conterens et evertens castra Madianitarum. Quisnam vero ille? Verbum Dei. De hoc enim ait Dominus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, q. d. et etiam verbum Dei panis quidam est, animæ scilicet.* Porro hoc eodem velut gladio pugnavit contra Satanam dum ex Scripturis eum convicit: *Scriptum est, inquit: Non in solo pane, etc.* Rursum: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum.* Denique, *Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis.* Itaque Dei verbum et panis est fidelium, quo reficiunt animas suas: et gladius est quo impugnant et expugnant castra Madian seu insultus dæmonum. Utrumque in hodierno evangelio non difficile inveniemus, ubi velut pane confortamur, et velut gladio armamur contra dæmonem.

Duo magni pugiles prodeunt ad certamen hodierno in evangelio, Filius Dei et filius perditionis: in illo cernimus, quæ sint partes filiorum Dei seu justorum, in isto quæ sint machinationes dæmonis ex parte etiam reproborum.

I. Filiorum Dei est, accepto baptismo præpa-

pare se ad pugnam, et cum occasio se offert, strenue pugnare: non otiosi aut existimare, jam omnia confecta et cœlum apertum esse baptizatis. Ita enim Christus post susceptum baptismum, *confestim ascendit de aqua, inquit Matthæus, c. III. et postea mox ductus est in desertum ad jejunandum et pugnandum cum adversario.* Ergo filii Dei ascendant post baptismum de virtute in virtutem, ostendant se athletas, exerant vires suas; quibus proinde augendis institutum est sacramentum confirmationis. Ad hoc unguuntur reges, necnon luctatores, ut fortes se in pugna exhibeant. Et nos in baptismo nostro, quo alio fine unguimur, nisi ut militiam christianam strenue militemus? Certe Samuel postquam in memoriam revocasset Sauli suam unctionem, dicens: *Me misit Dominus ut ungerem te in regem; mox subjecit Dei præceptum: Nunc ergo audi vocem Domini: vade et percute Amalec, etc. q. d. ad hoc enim unctus, ad hoc armatus et rex constitutus es.* Gratia Dei, quam in baptismo accepimus et per quam filii Dei constituimur, quasi gladius est, quo spirituale bellum gerere, percutere Satanam, et demoliri omnia vitia debemus. Pignus gloriæ accepimus, sed nisi per luctamen gloriam non obtinebimus: prius appellari Jacob, hoc est, luctatores nos oportet, quam vocemur Israel, hoc est, videntes Deum: quod et sancto illi patriarchæ contigit, Gen. XXV. et XXXII.

II. Filiorum Dei est armare se ad pugnam. Id enim fecit Christus petendo desertum et ibidem vacando orationi, jejunio, vigiliis et humicubationibus. Cujus exemplo imus in desertum, cum a mundi tumultibus, si non semper, certis tamen temporibus ad animi secreta nos recipimus; item cum ea, quæ carni adversantur et displicent, bona operamur. « Omne bonum (inquit S. Chrysost. hom. V. in Matth.) est extra carnem et mundum, quia non est juxta voluntatem carnis et mundi. Ad tale ergo desertum omnes filii Dei exeunt. » Vel: « Desertum est corpus nostrum, (inquit S. Augustinus, serm. LXXVII. de tempore,) cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur et contemptu rerum totius hominis species inculca sordescit. » Hoc armorum genus depingere nobis videtur Deus apud S. Job, c. III. q. sub typo equi militaris dicens: *Numquid præbebis equo fortitudinem? Terram ungula fodit, exultat, audacter in occursum pergit armatis: et mox: Ubi audierit buccinam, dicit: Vah! quasi dicat: Exulta et hinnit præ alacritate. Facit hoc sane equus præsertim generosus, cum ad prælium descendit, terram unguis excavat, aerem hinnitibus implet, ac sine pa-*

vore in hostes irruit. Sed quo fine hæc de equo Deus? Num de equis ipsi cura est? Utique propter nos hæc dicta sunt. Nos equorum instar sumus ad præliandum nati in baptismo, in confirmatione roborati. Ergo ut armemur et animemur contra dæmonem, terram carnis nostræ excavare nos oportet dura illa ungula, jejunii, flagelli, vigiliarum, etc. Hæc enim ratione *cum infirmor, tunc fortior sum*, inquit apostolus, II. Cor. XII. Ita audacter pergemus in occursum forti illi armato ipsique insultando poterimus dicere: *Vah! Quemadmodum fecere SS. Antonius, Hilarion, Martinus alique, qui postquam se jejunii aliisque mortificationis operibus probe armarunt ac pene confecerunt, tam terribiles effecti sunt dæmonibus ut eorum adventu, voce, imo solo nomine audito, fugere et obsessos deserere coacti sint.* Imitemur hos pro modulo nostro, armemus nos contra mundum cordis solitudine, jejunio contra carnem, oratione contra diabolum. Si enim hæc præstare potuit David regis occupatus negotiis, qui dixit: *Elongavi et mansi in solitudine, Ps. LIV. Genua mea infirmata sunt a jejunio, Psalm. CXVIII. Septies in die laudem dixi tibi, Psalm. CXVIII.* nos præstare non poterimus?

III. Filiorum Dei est primis statim dæmonis suggestionibus occurrere, et fœtum venenatum in ovo seu utero necare. Ita enim Dominus a Satana invitatus ad conficiendos solum et parandos panes in jejunio, tametsi nondum edendos, nequaquam ei acquievit, sed repulit veteratorem: *Non in solo pane, etc.* Imitatus fuit dæmon cancri marini astutiam, qui ut scribit S. Basilius, hom. VII. in hexam. et S. Ambrosius, l. V. hexam. c. VIII. ostrea observat, quando ad solares radios se exponunt et testas suas reserant, captura liberum aerem: tunc enim lapillum repansis illis testis immittit, ut recludi ab hisdem nequeant: quo facto, nisi ostrea lapillum mox repellant, cancri præda fiunt, ab eoque depascuntur. Observavit simile aliquid diabolus in Christo, quando vidit in deserto contemplationi et jejunio deditum, tandem esurisse more aliorum hominum. (Sic enim sese aperuit quodammodo Christus, dum se hominem esse aperte demonstravit.) Quid igitur diabolus, retrogradus ille cancer, qui de luce ad tenebras, de cœlo ad infernum retroactus est, quique viris piis velut ostreis insidiatur? Lapides esurienti objicit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* His enim præparatis et famæscenti oblatis, facile sperabat se, quomodo olim Evam pellegerat ad esum pomi, proposita ejus specie, Christum quoque plecturum ad jejunium frangendum,